

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Edward Burnell

**EPITOME || DIALECTICES, QVA SVM=||MA HVIVS ARTIS QVASI || in tabula  
spectanda proponitur, in || gratiam pubis Rostochianae || conscripta.|| AVTHORE  
EDVVARDO || BVRNELLO BRYTANNO.||**

Rostock: Dietz, Ludwig, 1542

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697857604>

Druck Freier  Zugang





Cg-1513 1-13

72

# EPITOME DIALECTICES, QVA SVM- MA HVIVS ARTIS QVASI

in tabula spectanda proponitur, in  
gratiam pubis Rostochianæ  
conscripta.

AVTHORE EDVVARDO  
BVRNELLO BRYTANNO.



Rostochij Ludouicus Dytz, excudebat.  
Anno. M. D. XLII.

VIRO HVMANISSIMO, ANDRAEAE EGERDAE, ROST  
ochianæ Academie rectori eximio, Ed  
uardus Burnellus, Brytannus,  
in eadem Academia greca=rum litérarum profesor. S. P. D.



ON me fugit, uir humanissime, quām anāpiti criticoū iudicio memet subijam, qui artem Dialetticam, à grecis latiniſq; uiris, summo studio curaq; tractatam, retractare audeam. Spero tamen, eos non omnino damnaturos esse hunc meum conatum, ubi consilium meum intellixerint. Cum enim in omni scientiarum genere plurimum prospic in firmioribus puerorum ingenijs, summam artis quasi in tabula descriptam contemplari, ut postea, in longioribus tractatibus intelligant, ad quae capita, seu summa genera singula sint referēdatum in dialectica hoc ipsum nō modo conduibile, sed et summe est necessarium. Nam in tanta huīus artis subtilitate, preceptionumq; multitudine, in primis utile est, summa genera tenere, ad quae cetera omnia referri queat. Quando igitur in arte differendi à nemine hactenus istud factū deprehendērim, prpoterea q; res sit ab omni ostentatione longe remota: ego iuuandæ iuuentutis amore, hunc laborem, libentissime subiui,



AN  
OST  
Ed  
  
e, quin  
et subi  
grecis lo  
trāq; nō  
ro tunc,  
efficiat  
Cum em  
mioribus  
descrip  
us intell  
referēt:  
d & fons  
subtilit,  
enna grav  
endo tunc  
prēbendo:  
z remitt  
ibentiaj  
suestra  
subiui, ex maxime necessaria dialectices precepta, in quantū potui compedium contraxi, quasiq; in tabula spectanda propositui, ut summam artis, studiosus puer mediocri præceptoris diligentia facile perapiat, posteaq; in prolixioribus aliorum de hac arte libris legendis minimo negotio intelligat, ad quos generalissimos locos, mīnūtores ille preceptiones partineant Tantum itaq; acbst ut aliquid laudis ex hac elucubratiuncula mihi vener, ut abunde satis animo meo factum fuerit, si ad huius artis studiosos aliqua utilitas promanet. Tibi autem postissimum (Vir humanissime) hoc quantulumcunq; est, ope ris munapare visum est, ut viro partim de me optime merito, partim huius Academiæ Magistrati summo: ut gratius in manus adolescentum prodeat, postquam tuo, viri doctissimi calalo approbatum fuerit. Vale.

## ARGVMENTVM HVIVS COMPENDII.

TRIA sunt generalissima capita, in Dialectica, ad que, cetera omnia referuntur. Definitio, Diuisio, & argumentatio. Nam quum Dialectica ars sit, recte & ordine docēdi, doceamus autem, quæstionem simplicem vel compositam: Ad simplicem quæstionem recte docendam & explicandam, inuentæ sunt definitio, & diuisio. Compositæ uero quæstioni explicandæ, seruit argumentatio.

A ij

Sed

Sed quia definitio plerique ex genere & differentia componitur, aut si differentia non occurrat, ex proprio uel accidete: ipsum autem quod definitur species appellatur; ideo ad caput definitionis pertinet cognitio uniuersalium, nempe, quid sit genus, quid species, quid differentia, quid proprium, & quid accidentis. Quanque hec ad divisionis quoque caput referantur. Nam quum diuisio (teste Agricola) sit generis in species per differentias diductio, ad dividendi rationem in primis necessarium est scire, quid sit genus, quid species, quid differentia, & cetera. Cumque in definitionibus rebus genera ex uocum ordinibus seu praedicamentis deponuntur: ad definitionis quoque caput praedicamentorum tractatio pertinet. Ad tertium uero caput nempe argumentatione spectat, quicquid de qua quadriga argumentationis formis, de consequentijs, de fallacijs, de ratione inueniendi medijs, hoc est, de locis traditur. Hec igitur in subsequentibus latius explicabimus.





Vidē Dialectica? Est ars re-  
te & ordine docendi atq; ex-  
plandi aliquid. Quid doce-  
mus aut explicamus? Quæ-  
stionem. Quid est quæstio?  
Est id de quo queritur ac du-  
bitatur. Quotuplex ē quæstio? Duplex. Sim-  
plex & composita. Quid est quæstio simplex?  
Quoties de una uoce queritur ac dubitatur,  
ut quid sit iusticia. Quid est quæstio compo-  
sita? Quā de integra oratione dubitatur, ut  
an uirtus per se sufficiat ad beatitudinē. Quo  
modo docetur atq; explicat̄ quæstio simplex?  
Per definitionem ac diuisionē. Quid est de-  
finitio? Est oratio qua quid sit res explicat̄.  
Vnde uel ex qua materia componitur defini-  
tio? Ex genere & differentia, Vt plurimū.  
Quid si differentia non occurrat, Nam ut in-  
quit Rodolphus plerarūq; rerum uerē diffe-  
rentiae ignotē sunt? Tunc illius loco propriū  
subiijtemus. Quid si propriū quoq; desit?  
Tunc per accidentia aliquid circumscribendū  
erit, quod differentiae locum suppleat. Quid  
est id quod definitur? Species. Hec enim sola  
(authore Boethio) definitione illustrari solet  
Quum igitur ex precedentibus constet,

A iii

ad defi-

ad definitionem recte connectendam , ge-  
nus & differentiam concurrere , uel inter-  
dum loco differentiae, proprium aut accidens,  
cūq[ue] id quod definitur, species appelletur: ap-  
prime necessarium est, ut quid sit genus , quid  
species, quid differentia, quid proprium, &  
quid accidens, breuiter ac dilucide declares.  
Et primum ab individuo incipias , quod im-  
propriè predicabile dicitur, propterea quod  
de uno solo predicatur.

## DE PRAEDICABILIBVS, seu vniuersalibus,

Quid est individuum? Quod grammatici proprium nomen appellant, ut Socrates Plato . Quid est species ? Est uocabulum com-  
mune multis individualibus . Quid est differen-  
tia ? Quia species a specie differt. Vthomo per rationale differt a bruto. Quid est proprium ?  
Est peculiare aliquiis rei officium quod soli  
alicui speciei, & omnibus eius individualibus, &  
semper competit. ut hominis proprium est,  
loqui, aut ridere, hec enim soli homini com-  
petunt, & omnibus eius individualibus, ut Pla-  
toni, Socrati, & omni tempore. Quid est ac-  
cidens ? Quod tum adesse, tum abesse potest,  
prater

præter subiecti corruptionē, cui inheret, ut  
albedo potest adesse, uel abesse parieti, sine  
ipsius corruptōe. Dixisti supra, definitionē  
componi ex genere et differentia: uel si desit  
differentia, ex proprio aut accidente. Decla-  
ra nunc ex qua sylua, hanc materiā sumam⁹,  
Prior pars huius materiæ, uidelicet genus, ex  
prædicamentis sumitur. Secunda uero pars,  
differentia, in plerisq; rebus definiendis, à  
proprio rei officio petitur, ut si quis dialecti-  
cam definire uelit, hic, gen⁹, nēpe ars, ex præ  
dicamento qualitatis sumitur, differentiam  
uero, a proprio huius artis officio mutua-  
mur, quod est docere.

## DE PRAEDICAMENTIS.

Quid est Prædicamentū? Est ordo uo-  
cum communītū, in quo alię predicanr, aliæ  
subiiciuntur, ut ex subiecta diuisione sustan-  
tiæ liquide apparet. Quot sunt Prædicamen-  
ta, seu uocum ordines? Decem. Videlicet,  
Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio,  
Actio, Passio, Vbi, Quando, Situs, Habit⁹.

## DE PRAEDICAMENTO

Substantiæ.

Quid

**Quid est Substantia?** Est receptaculum  
accidentium, seu cui accidentia inherent, ut  
parieti inheret albedo, Ethiopiniger color.  
**Quo modo diuiditur substantia?**

## **SVBSTANTIA.**

**Corporea.**      **Incorporea.**  
**Corpus.**

Mistum                      Simplex  
Corpus mistum.

**Animatum.**      **Inanimatum.**  
**Corpus animatum.**

Sentiens. i. est Animal. Non sentiens.  
Animal.

## Rationle. Irrationale. Animal rationale.

## Socrates, Plato, Cicero.

## DE PRAE DICAM EOTO

## Quantitatis.

**Quid est Quantitas:** Est secundū quām  
quippiam in partes diuiditur, ut trabs secun-  
dum longitudinem, latitudinem, & profun-  
ditatem

ditatem in partes diuidi potest, quae si auferas, indivisibilis est. Quae est summa diuisio quantitatis? Quod quantitas alia est continua, alia discreta. Quid est quantitas continua? Cuius partes continuatur, nec usque a se inuicem diuelluntur, ut in linea. Quot sunt species quantitatis continuae? Quinque. Linea, Superficies, Corpus, Locus, & Tempus. Quid est linea? Quod solū in longū extenditur, ut stadium, milliarium. Nam in his solam longitudinem cosideramus, sine ulla latitudine aut profunditate. Quid est Superficies? Quod tam in longum quam in latum extenditur, ut iugerum, pes quadratus. His enim uocabulis non solū longitudinem, verum etiam latitudinem rei alicuius significamus. Quid est corpus? Est simul longitudo, & latitudo, & profunditas alicuius rei. Nec corpus hic intelligi debet ipsa substantia, seu materia, sed magnitudo cogitatōe disiuncta a materia seu substantia. Quid est quantitas discreta? Cuius partes diuelluntur, nec sunt inter se continuæ, ut partes numeri, 1 2 3, nec enim hæ continuatur ut partes liniae— Quot species sub se comprehendit? Duas, numerum & orationem. Quid est numerus?

A v      Est mul

Est multitudo ex pluribus unitatib⁹ constāt.  
Quid est oratio? Oratio hic nō accipit⁹ur pro  
sententia aliqua, aut prouinciat⁹, sed pro syl-  
labarum quantitate, quatenus alia longa, a-  
lia brevis est.

## D E P R A E D I C A M E N T O

Qualitatis.

Quid est Qualitas? Est forma, substan-  
tiæ inherens, a qua & appallationem sumit,  
ut Musica ē forma quædam inherens homi-  
ni, a qua etiam musicus appellatur. Quot  
sunt species Qualitatis? Quatuor. Quæ  
est prma? Habit⁹, hoc est, qualitas qua ali-  
quid expedite ac prompte facimus, a natura  
primum incoata ac deinde longo usu agendi  
confirmata, & absoluta, ut est ars Poetica.  
Nam hanc primum incoat natura, deinde as-  
sidua Poëtarū lectio & exercitatio perficiunt  
hanc artem. Quotuplex ē habit⁹? Duplex,  
animi & corporis. Quotuplex est habit⁹ a-  
nimī? Duplex, uoluntatis & intellectus. Qui  
sunt habit⁹ uoluntatis? Qui in uoluntate  
consistunt, ut uirtutes et uitia. Qui sunt habit⁹  
intellect⁹? Qui in intellectu uersantur, ut scis-  
entie, et artes liberales, ut Musica, Arithme-  
tica.

Qn*i*

Qui sunt habitus corporis? Qui exercitatōe  
& motū corporis consistunt, ut Palestrica.  
Quæ est secunda species qualitatis? Est na-  
turalis potentia, uel impetus alicui⁹ rei agen-  
dæ, ut in Achille fuit naturalis potentia, &  
impetus ad uitatem. Contra in Thersite fu-  
it naturalis ipotētia ad res strenue gerēdas.  
Cur discernit Aristoteles has potētias ab ha-  
bitib⁹? Quia plurimum pdest ea discernere  
quæ a natura nobis adsunt, ab his, quæ a no-  
bis ipsis acquiruntur. Quæ est tertia species  
qualitatis? Est figura, ut Triangulus, Quæ  
drangulus.

## DE PRAEDICAMENTO relationis.

Quid est relatio? Ad hui⁹ prēdicamenti  
cognitionem, sciendū est duplicita esse noia,  
alia absoluta, quæ possunt intelligi, et si ad  
alia non referantur, qualia sunt in Prædicā-  
mento substantiæ, qualitatis, & quantitatis:  
Alia esse nomina quæ non possunt intelligi,  
nisi ad alia referantur, ut pater nō potest in-  
telligi nisi referatur ad filium. Relatiua igit  
tur sunt, quæ ad alia referuntur, ut dominus  
ad seruum, maritus ad uxorem.

DE

## DE PRAEDICAMENTO Actionis,

Quid ē Actio? Est operatio in eo quod subiicit, ut secare, urere, Hec enim operam suam explicant in lignum uel aliam quamcunq; materiam quæ uel secarī uel urī potest

## DE PRAEDICAMENTO Passionis.

Quid est Passio? Est actionis affectus, ut secarī, urī, Quā enim aliquid secatur aut uritur, afficitur ab eo quod agit, nempe a seante aut urente.

## DE PRAEDICAMENTO VBI.

Quæ uoces pertinent ad prædicamentū Vbi? Ad hoc prædicamentū referuntur iōia uocabula locum significantia, ut theatrum, forum, templum.

## DE PREDICAMENTO QVANDO.

Quæ uoces pertinent ad predicamentū Quando? Ad hoc predicamentum pertinet omnia uocabula tempus significatiā, ut An-nus, Mensis, Dies, hodie, heri.

## DE PRE

## DE PRAEDICAMENTO SITVS

Quæ uoces pertainent ad prædicamentū Sítus, Omnia uocabula significantia modū positi corporis, ut iacere, sedere, stare, accubere. Quæ uoces referuntur ad prædicamentum habitus? In hoc prædicamento, locū habent noīa uestium, ut toga, tunica, pileus.

## DE SECUNDA PARTE SIMPLICIS ALICUIUS QUESTIONIS EXPLICANDÆ, NEMPE, DIVISIONE.

**D**ixisti supra, ad simplicē questionem explicandam, inuentam esse definitōem, & divisionem. Preterea quid sit Definitio, & unde eius materia sit petēda, iam explicuisti. Restat, ut secundum membrum simplicis alius questionis explicande, uidelicet divisionem declares. Quid est divisione? Est sectio unius in plura. Quot sunt formae dividendi? Quatuor: Quæ est prima forma dividendi? Quum genus dividitur in species, ut animal, in hominem, & brutum. Quæ est Secunda forma dividendi? Quum totū in partes distribuitur, ut quum quis corpus hominis in caput, pectus, manū, pèdes distribuit.

Quæ

Quæ est tertia forma diuidendi? Quum subiecti alicuius accidentia recensemus, ut Ciceroni hec omnia infuerunt, eloquentia, prudenter, appetitæ dominatiois uindicta. Quæ est quarta forma seu ratio diuidendi? Quoties uocabulum poly emom, hoc est, quæ plura significat, in sua significata diuidimus, ut Iustitia alias significat, obedientiam erga omnes uirtutes, alias particularem uirtutem designat, qua quis suum cuique tribuit.

DE QVAESTIONE COMPOSITA,  
quid sit, & quomodo explicetur,

IN initio huius compendij, dictum est, Dialecticam esse artem docendi, porro, docere nos, uel questiones simplices uel compositas, quo modo preterea simplex questio explicetur, uidelicet, per definitoem, & diuisionem, iam in praecedentibus traditum est. Supereft igitur, ut compositæ quoque questionis explicanda rationem demonstres, & primum declar, quid sit composita questio. Questio composita nihil aliud est, quam dubitabilis propositio. Quid est propositio? Est oratio indicativa, uerum aut falsum, sine ambiguitate significans. Cur addis particulam, sine ambigu

ambiguitate? Ut excludantur uocabula po-  
lysema, hoc est, quæ plura significant. Quo-  
tuplex est propositio? Multe sunt propositi-  
onum diuisiones, sed generalissima hec est, q  
propositionum aliae sunt Cathegoricæ, aliae  
Hypotheticæ. Quæ est propositio cathego-  
rica? Est una & simplex oratio, ut Sola sibi  
uirtus semper pulcherrima merces. Quid ē  
propositio hypothetica? Est quæ ex duabus  
orationibus, coniunctiōe copulatis, compo-  
nitur, ut Si nō maturius occurratur Turcis,  
metuendum est, ne inuadant Germaniam.  
Quæ ē secunda diuisio propositionū? Quod  
aliae sunt affirmatiuæ, ut est res solliciti plo-  
na timoris amor. Aliae negatiuæ, ut Stulto  
nemo in amore sapit. Quæ est tertia diuisio  
propositionū? Quod aliae sunt iueræ, ut De⁹  
est iustus: Aliae sunt falsæ, ut mundus est e-  
ternus, Quæ est quarta diuisio propo-  
sitionum? Quod propositionum aliae sunt V ni-  
uersales, ut omnis legum mutatio est pericu-  
losa. Nulla mutatio rituum, est sine seditiōe.  
Aliae sunt particulares, ut quedam legū mu-  
tationes interdum sunt necessarie. Aliae sunt  
indefinitæ, quibus nullū signum præponit,  
ut, anima hominis est immortalis. Aliae sin-  
gulares

gulares, ut Aristides fuit iustus. Quae est quinta diuisio propositionum? Quod aliae sunt necessarie, alię contingentes. Quę propositiones sunt necessarie? In quibus definitio, genus, species, differentia, uel propriū est prædicatum, Quę sunt propositiones contingentes? In quibus accidentia de subiectis prædicantur, ut Ciceron fuit eloquens. In hac propositione, eloquentia, quod est accidens de Cicerone, ut subiecto prædicatur.

Quot sunt partes propositionis? Tres. Subiectum, Copula, & prædicatum. Quid est subiectum in propositione? Quicquid precedit copulam id est uerbum substantiuū, excepto signo & negatione. Quid est copula? Est uerbum substantiuū, quod connectit subiectū cum prædicato. Quid est prædicatum? Est quicquid sequitur copulam, preter signum & negationem. Da exemplum. Ut in hac propositione, Omnis seditio uulnerat rem publicam, Subiectum est seditio, copula uerbum substantiuū, est, prædicatum, uulnernans rem publicam. Nam uerbum actiuū resoluitur in uerbum substantiuū, & participium eiusdem temporis, & pro uulnerat dicendum, est uulnernans. Vnde intelligam quo


quo modo apposite respondendum sit quæ  
renti de supradictis propositionis divisioni  
bus? Ex hoc uersiculo. Quæ? Cauel Hyp.  
Qualis? ne. uel aff. u. quanta? par. in. fin.  
Nam quærenti, quæ sit propositio? apposite  
respondebitur, esse Cathegoricam, uel Hypo-  
theticam. Quærenti, Qualis? respondebitur  
esse, affirmatiuam, uel negatiuam. Quæren-  
ti, uero, Quanta sit propositio, respondebi-  
tur, aut uniuersalem esse, aut particularem,  
aut indefinitam, aut singularem.

## DE OPPOSITIONE PRO- POSITIONVM.

Quot modis opponuntur inter se pro-  
positiones? Quadrupliciter. Contrarie, Sub-  
contrarie, Contradictorie, & subalterne.

Quæ autem propositiones quibus  
modis opponuntur,  
declarat sub-  
iecta  
figura.

B



Quæ est lex & ratio contrariarū? Quod contrariæ nunq̄ simul ueræ esse possunt, sed simul falsæ in materia contingentī, hoc est, ubi accidentia tribuuntur subiectis, ut om̄is anima est mortalís, & nulla anima est mortalís, quarum utraq̄ est falsa. Quæ est lex & ratio Subcontrariarum? Quod pariter ueræ esse possunt, in prædicatione contingentī, ut quidam homines sunt iusti, quidam homines non sunt iusti. Quæ est lex & ratio Contradictoriarum? Quod hæ nunq̄ simul aut uare

ueræ aut falsæ esse possunt. Quæ est lex & ratiō. Sub alternarū? Quod hæ nunq̄ simul falsæ esse possunt, quia sunt particulares, seu singulares sub uniuersalibus comprehensæ, sed pariter ueræ esse possunt.

DE TERTIO MEMBRO DIAlectices, nempe, argumentatione, per quam Quæstio composita docetur & explicatur.

S Vpra dixisti, quæstionem compositam, explicari per argumentationem. Iam igitur ostende, quid sit argumentatio, & quot species seu formas sub se comprehendat. Argumentatio est, quoties unam sententiam ex alia colligimus, ut, Catilina fuit seditionis, igitur iure electus est ex urbæ Romana. Hic posterior sententia ex priore colligitur. Quot sunt, quæ in argumentatione considerantur? Duo. materia & forma. Quid est materia in argumentatione? Materia sunt ipsæ propositiones, ex quibus conficitur argumentatio. Quid est forma? Estratio connectendi, ppositiones inter se, ut iusta ac recta sequatur conclusio. Quot sunt forme cōnectandarū propositionum? Quatuor. Syllogismus. Enthymema. Inductio, & Exemplum.

Bij DE SIL

## DE SYLLOGISMO.

Quid est Syllogismus? Est forma argumentandi, in qua ex duabus præcedentibus propositionibus, certa sequitur conclusio, ut  
Insidiatores iure licet interficere.  
Clodius fuit insidiator, ergo,  
Clodius iure occisus est.

Ex quot partibus constat Syllogismus?  
Tribus, qui termini appellantur, nempe maior, minor, & medius. Quis est maior terminus in Syllogismo? Qui solum in prima propositione ponitur. Quis est minor? Qui ponitur solum in secunda propositione. Quis est medius terminus? Qui in utraque propositione ponitur, neque repetitur in conclusione. Da tres terminos, ex quibus possit componi Syllogismus. Sint exempli gratia hi tres termini. Fur, Verres, & suspendendus. Ex his tribus terminis, hunc in modum potest connecti Syllogismus.]

Omnis furest suspendendus.  
Verres est fur. igitur.  
Verres est suspendendus,

In hoc Syllogismo, maior terminus est, suspendendus, quia ponitur solum in prima propo

propositione. Minor uero terminus, est Ver  
rēs, quia ponitur solum in secunda propo  
sitione. Medius autem terminus est fur, quia  
in priore & posteriore propositione ponitur  
neq̄ repetitur in conclusione.

Declarasti supra, quae sint membra sim  
plicia syllogismi, & quo modo appellantur,  
Iam ostende, quo modo appellantur partes  
coniuncte. Dicuntur duæ præmissæ, seu pro  
positiones, & conclusio, Quānq̄ improprie  
prior propositio maior, & posterior minor  
appelletur.

Quot requiruntur ad bonam formam  
syllogismi? Duo, figura & modus. Quid est  
figura in syllogismo? Est dispositio mediū ter  
mini. Quid est modus? Est quantitas & qua  
litas propositionum in syllogismo. Quae est  
prima figura? In qua medius terminus ita di  
sponitur, ut sit in prima propositione subiec  
tum. & in secunda predicatum, ut ex subiec  
tis exemplis apparebit. Qno et sint modi  
huius figuræ? Quatuor, uidelicet, Barbara,  
Celarent, Darij, Ferio. In quibus dictioni  
bus solarum uocalium ratio habenda est. Nam  
A, designat uniuersalē affirmatiuā. E, uni  
uersalem negatiuam. I, particularē, uel si  
B iij gularēm

gularem affirmatiuam. O particularem, uel  
singularem negatiuam.

Bar Omnis magistratus est a Deo.

ba Omnis prætor est magistratus. igitur.

ra Omnis prætor est a Deo.

Ce Nulli imperiti sunt idonei ad imperium

la Omnes adolescentes sunt imperiti. ergo.

rent Nulli adolescentes sunt idonei ad imperium

Da Omnes homines sunt mortales.

ri Hercules est homo. igitur.

i Hercules est mortalis.

fe Nullus temerarius Princeps bene ad-  
ministrat.

ri Quidam Principes fuerunt temerarii. ergo

o Quidam Principes non potuerunt recte  
administrare.

Quæ est secunda figura? In qua, me-  
dius terminus ē & in maiore, & minore pre-  
dicatum. Quot sunt modi huius figuræ?  
Quatuor.

Ce Nulli Philosophi amant calumnias.

sa Omnes Sophistæ amant calumnias. igitur.

re Nulli Sophistæ sunt Philosophi.

- Ca Omnes Christiani recte interpretantur scripturam.  
mes Nullus Sacramentarius recte interpretatur scripturam.  
tres Iḡit nullus Sacramētari⁹ ē Christianus  
Fef Nemo uere Theologus contemnit philosophiam.  
ti Quidam Concionatores contemnunt Philosophiam, igitur.  
nō Quidam Cōcōnatores uere Theologi non sunt.  
Ba Omnis pœnitentia debet habere fidē.  
ro Iude pœnitentia non habuit fidē. igit̄.  
co Iudæ pœnitētia nō fuit uere pœnitētia

Quæ est tertia figura? In qua mediū terminus est subiectum in maiore & in minore. Quot sunt modi huius figuræ? Hī Sex.

- Da Omne ius naturæ concedit uim ui de pellere.  
rap Omne Ius naturæ, ē ius diuinū. igitur  
ti Ius diuinum concedit uim ui depellere.  
fe Nulla uirtus est fugienda.  
lap Ommnis uirt⁹ paratur labore. igitur.  
ton Quidam labor non est fugiendus.

B iiii Di

- Di Pauli prouocatio est licita.  
fa Omnis prouocatio ē contendere in ius-  
dicio. igitur.  
mis Contendere in iudicio est licitum.
- Da Omnium hereticorum consuetudo est  
fugienda.  
ti Quidā heretici sunt Anabaptistē. igit.  
fi Anabaptistarū consuetudo ē fugienda.
- Bo Quædā uis nō prohibetur iure naturali.  
car Omnis uis ledit proximū cui infertur.  
do Igitur quædam lesio proximi non prohibe-  
tur iure naturali.
- fe Nullus magistratus est contemnendus.  
ri Quidā magistratus ē ordinatus a Deo.  
son Igitur quoddam ordinatum a Deo non  
est contemnendum.

## DE SYLLOGISMO Expositorio.

Quid est Syllogismus expositorius?  
Est qui uniuersalem exponit per singularē-  
ut, Job fuit uir iustus. Job permisso Dei af-  
flictus est a diabolo. Igitur Deus interdum  
permittit uiros iustos affligi. Hic, uniuersalis  
propo

propositio, nempe iustos pati afflictiones, exponitur seu probatur per singularem, uidelicet q̄ Iob quum fuerit iustus afflictus est. Quando incidit usus huius Syllogismi? In tractandis exemplis, ut si quis exemplo uelit probare diuites posse seruari, huiusmodi Syllogismo expositorio ostendere poterit,

Abraham fuit seruatus.

Abraham fuit diues. igitur,

Diuites seruari possunt.

## DE SECVnda ARGVMEN- tationis forma, nempe Enthymemate.

Quid est Enthymema? Est mutilatus syllogismus, omissa nimirum altera præmissarum, aut maiore aut minore, breuitatis uel dissimulationis causa, ut Catilina est seditus. Igitur est puniendus. Hic, maior propositio, nempe seditiones esse puniendos, breuitatis causa omittitur, quia notior est, q̄ut opus sit auditorem eius commonefacere. Da exemplum ubi per dissimulationem aliqua præmissarum omittitur. Ut comptus est igit̄ amat. Nam maior propositio uidelicet quod omnis comptus amat, utpote infirma per dissimulationem omittitur. Quot sunt partes

B v Enthy

Enthymematis? Duræ. Antecedens & Consequens, ut in pæcedente exemplo, Antecedens est, Catilinam esse seditionis, Consequens, igitur est puniendus.

DE TERTIA FORMA ARGV-  
mentationis nempe, Iudicatione.

Quid est Inductio? Est argumentatio, in qua ex multis singularibus propositionibus colligitur uniuersalis. Quod nihil aliud est q̄ ab experientia ratiocinari, ut quia aliquid ita se habet in hacre, similiter & in illa, & sic in cæteris, ideo in uniuersum colligim⁹ in omnibus ita se habere. Ut Christus passus est, atq; ita ingressus est regnum suum. Sic etiam Apostoli & reliqui sancti viri qui ante nos fuerunt. Igitur & nobis patiendum est, atq; per mortem ingrediendū ad uitam, antecip̄ Christo coheredes erimus.

DE QVARTA FORMA AR-  
gumentationis, nempe Exemplo.

Quid est exemplum? Est forma argumentationis, in qua similes personæ & similia facta conferuntur. Ut Heli grauiter punitus ē a Deo, propterea quod nō coerceret filios

filios suo s. Ideo & alij parentes, qui eodem modo corrupte educant liberos suos, diuinā ultionem expectent.

### DE SORITE,

Quid tibi uidetur de Sorite? Numeratur & hic inter formas argumentandi, Est autem nihil aliud, q̄ coaceruatio propositionum necessario inter se coherentium, nempe generum, specierum, causarum, & effectuum. Ut fiducia misericordiae, nō potest existere nisi in his, qui sentiunt iram Dei. Sensus irae Dei, non est nisi in his, qui timet Deum. Timor Dei non est sine bonis operibus. Igitur fides non est sine bonis operibus.

### DE LOCIS DIALECTICIS.

Quot partibus cōstat Dialectica? Dialectica duabus partibus est comprehensa, quarum altera Critice, altera Topice appellatur. Quod est officium topics? Ut tradat rationem inueniendi argumenta ad propositionem probandā. Quod est officium Critices? Tradere rationem iudicandi de inuentis argumentis, an instituto probando idonea

nea sint. Quim igitur in præcedentibus de Crítice satis explicatum sit in formis argumentationum, Supereft, ut de topice, hoc est, ratione inueniendorum argumentorum succincte ac dilucide tractes.

Vnde inueniuntur argumenta? Ex locis. Quid est locus? Est sedes argumēti. Quo modo diuiduntur loci? In locos rerū & personarū. Sed de personarum locis præcipiūt Re thores in genere demonstratio personæ, ideo nos rerū locos perstringem⁹. Quo modo diuiduntur loci rerum? In internos & externos. Quot sunt loci Interni? Definitio, genus, species, differentia, proprium, coniugata, totum, partes, causæ effectus.

## DE LOCO DEFINITIONIS.

Primus igitur locus est a definitione, ex qua (teste Cicerone) oīs de quacunq; re institutio proficiſci debet. Et quidem, quid sit definitio, & unde eius materia sumatur, supra explicuisti, Iam ostende, qua ratione ab hoc loco argumentemur. A definitione ad definitum affirmatiue & negatiue argumentamur

camur. Affirmatiue, ut animal rationale ē,  
igitur homo est. Negatiue, ut animal ratio-  
nale non est, igitur nec homo est. Quo mo-  
do argumentamur a definito ad definitio-  
nem? Similiter affirmatiue & negatiue. Ut  
Aristides fuit iustus, igitur reddidit unicuique  
quod suum est, & contra, ut Philippus frau-  
de sibi subiecit Grecos, ergo fuit iniustus.  
Quæ est huius loci regula? Quod cui conuen-  
nit definitio, ei conuenit & definitum. Et cui  
adimititur definitio, ei adimititur & definitum.

### DE LOCO A GENERE.

Quid sit genus, & unde petatur, nem-  
pe ex uocum ordinibus, supra demonstratum  
est, iam declara, quo modo a genere argu-  
mentemur. A genere tantum negatiue ar-  
gumentamur, ut animal non est, ergo nec ho-  
mo est. Quæ est huius loci regula? Quod cui  
adimititur genus, ei adimititur & species.

### DE LOCO A SPECIE.

Quid sit species, superius inter uniuers-  
alia explicatum est. Quo modo argumen-  
tamur ab hoc loco? Tantum affirmatiue, ut  
homo

homo est, igitur animal est. Quæ est regula huius loci? Quôd cui tribuitur species, ei tribuitur & genus.

### DE LOCO A DIFFEREN- tia uel proprio.

Quid sit item Differentia, & quid proprium, ante declaratum est. Quo modo argumentamur ab his locis? *Affirmativa & negativa*, Ut rationale est, igitur homo est, & non est rationale, igitur nec homo. Quæ est huius loci maxima? Quôd differentia seu proprium conuertitur cum specie cuius est proprium, uel differentia, Ut quicquid rationale est homo est, & quicquid homo est, rationale est.

### DE LOCO A CONIVGATIS.

Quæ sunt coniugata? Coniugata dicuntur quoties casus alicuius uocis mutatus gignit argumentum, ut Regulus in aduersis rebus non fuit miser. Igitur aduersa fortuna, non facit aliquem miserum.

### DE LOCO A TOTO ET PARTIBVS.

Quo

Quo modo argumentamur a toto ad partes? Ut homo est, igitur constat ex anima & corpore. Poenitens est. Igitur contritionē habet & fidem. Quo modo a partibus ad totum? Ut neq; diuino neq; humano iure permittitur usura, ergo nullo iure permittitur.

## DE LOCō A CAVSIS.

Numerasti superius inter locos intēnos etiam locum a causis. Iam ostende, quōtuplices sunt causæ, & quo modo ab his argumenta ducantur. Causæ quadrifariam dividuntur. Aut enim sunt efficientes, aut finiales, aut materiales, aut formales. Quæ est causa efficiens? Cuius uero aliquid fit, ut Faber est causa efficiens domus. Ab hoc arguitur Paulus ad Romanos, Magistratus esse colendos, quia Deus ipsorum causa efficiens est.

Quæ est causa finalis? Propter quam aliquid fit, ut domus extruitur ad inhabitandum. Estq; hec causarum precipua, quippe quæ efficientem ad agendum impellit. Omnia enim (ut inquit Philosophus) propter finem aliquem agunt. Quo modo argumentamur

tamur ab hoc loco? Ut Philosophia utilis est ad recte gubernandas res publicas, Ergo in hac diligenter exercendi sunt adolescentes. Bellum introduxit est ( inquit Cicerus ) quo in pace uiuatur, Igitur omne bellum non est nefarium.

Quæ est causa materialis? Ex qua aliquid fit, ut ex lignis & lapidibus, fit domus, Quo modo argumentamur ab hoc loco? Ut Hercules ex corruptilibus elementis compositus est, quemadmodum cæteri homines. Ergo certum est eum non esse immortalem.

Quæ est causa formalis? Est ipsa rei perfectio. Quo modo argumentamur ab hoc loco? Ut scriptura inquit. Condidit Deus hominem ad similitudinem sui. Igitur homo excellentissimam habet formam inter cætera omnia animantia,

## DE LOCIS EXTERNIS.

Divisi supra locos in internos & externos, & internos iam est absoluisti, perge igit nunc ad locos externos, & primum ostende quot sunt loci externi? Externi loci sunt Sex. nempe, Similia, Comparata, Contraria, Exempla & authoritas

DE LO

DE LOCO A SIMILI ET  
comparatis , & quo modo dif-  
ferant a se inuicem.

Similia in hoc differunt a comparatis , quod simila dicuntur , quoties duo extrema , in duobus tertis conferuntur , ut , Quemadmodum uascula oris angusti , superfusam humoris copiam respuunt , sensim autem instillatis replentur : Sicut tenera puerorum ingenia , res minutis facilius percipiunt , grandiores non intelligunt . In hoc simili , duo extrema , nempe , tenera puerorum ingenia , & uascula oris angusti , in duobus tertis conferuntur , uidelicet responda humorum superfluitate , & res grandes non percipiendo . Comparata uero dicuntur , quoties duo extrema , in uno tertio conferuntur , Ut Catoni licuit , sequi bellum ciuile , igitur & Ciceroni . In hac comparatione , duo extrema , nempe Cato & Cicerro , in uno tertio comparantur , uidelicet , secundo bellum ciuile .

DE LOCO AB OPPOSITIS ,  
& quotuplicia sunt opposita .

Quotuplex est locus ab opositis : Hic  
C locus

locus quadruplex est. Opponuntur enim alii  
qua inter se, uel priuatue, uel relatiue, uel  
contrarie, uel contradictorie.

## DE PRIVATIVE OPPPOSITIS.

Quæ dicuntur opponi priuatue? Quorum alterum priuat subiectum altero, ut coe-  
citas priuat oculum uisu, & ediuerso. Sic te-  
nebrae priuant mundum luce, & lux uicissim  
tenebris. Sic motus & quies, somnus & ui-  
gilia, &c.

Quo modo argumentamur a priuatue  
oppositis? Ut scriptura appallat Christum  
lucem mundi. Ergo ante datum Christi, ni-  
hil aliud erat in mundo, q̄z tenebrae.

## DE RELATIVE OPPPOSITIS.

Quæ dicuntur relatiue opponi? Illa sim-  
plicia nomina, quæ antea retulimus ad præ-  
dicamentum relationis, ut pater & filius, præ-  
ceptor & discipulus, dominus & seruus, ma-  
ritus & uxor.

Quo modo argumētamur a relatiue op-  
positis? Ut Plato fuit præceptor Aristotelis,  
ergo non fuit eius discipulus.

DE

## DE CONTRARIE OP- POSITIS.

Quæ dicuntur contrarie opponi: Duæ qualitates ex aduerso sibi repugnantes, Vt iustitia & iniustitia, scientia & inscitia. Quo modo argumentamur a contrarię oppositis: Vt Cicero fuit sapiens. Ergo in hoc non est existimandus stulte egisse, q̄ exustis Philipicis uitam non redemerit,

## DE CONTRADICTORIE OPPOSITIS.

Quæ dicuntur contradictorie opponi: de his abunde satis supra dictum est, in propositionum oppositione. Quo modo argumentamur a contradictorie oppositis: Vt omnes homines sunt mortales, Ergo figmentum est Poeticum Herculem esse immortale.

## DE LOCO AB EXEMPLIS.

Quo modo argumentamur ab exemplo: De hoc loco superius dictum est inter formas argumentationis, nempe exemplum Cij esse

esse, ubi similes personæ & similia facta conseruntur. Ut Balthasar rex punitus ē a Deo, quod uasa diuinio cultui dedicata profanasset. Ergo nec hi diuinam ultionem euadent, qui res sacras temere dilapidant, nec in piis usus conuertunt.

## DE LOCO AB AVTHORITATE.

Quando argumentamur ab authoritate? Quoties ad confirmandum thema summi alicuius Principis, aut probati authoris, sententiam in medium adducimus. Veluti si quis probaturius, philosophiam utilem esse rei publicæ, citet illam Platonis sententiam. Eam demum remp. florere, cui philosophi viri præsunt.

## DE FALLACIIS.

**L**Ocīs iam absolutis, proximum erat de fallacijs dicere. Sed quia eiusdem artificis est & bonas argumentationes contexere, & malas dijudicare, ideo nos breuitatis causa satis habuimus iustas argumentationes contextendi rationem ostendere. Sit itaq; hec quasi

quasi Isagoge ad Melanchthonē . Agricolā .  
Cæfareum , & alios qui prolixius de hac arte  
scripsierunt recte intelligendos , ut in his le-  
gendis diuident adolescentes , ad quæ com-  
muniſſima capita minutiora quæcꝫ ſint refe-  
renda , & primo omnium ex hoc noſtro com-  
pendio , huius artis quaſi idem aliquam ani-  
mo concipiāt ,

Atqꝫ iſtud fuit consilium . huius noſtræ  
editionis , ut facilem ac compendiariam hu-  
ius artis rationem oſtenderemus . Alioqui  
non ſolum ſuperuacaneū , ſed & plane riſicu-  
lum uideri poſſet , poſt tot tantosqꝫ ſcripto-  
res , huius artis precepta cōſcribere uelle . Cū  
nihil uel dīci poſſit , quod ab alijs dictum nō  
ſit , uel etiam commodiore ordine tradiqꝫ re-  
centiores aliquot tradiderunt . Verum nos  
facilitate & compendio cœteros ſuperare co-  
natū ſumus . Quem noſtrum conatum , ſi stu-  
diosæ iuuentutis non ingratum intel-  
lexerimus , bréui in Rhetorica ,  
hoc ipsum preſtabimus ,



## HEXASTICON AD CAN- DI'DVM LECTOREM,

Sedulus hec voluas cui sunt compendia grata.

Quiq; fugis longas, difficilcsq; vias.

His, ego sum rerum fastigia summa securus.

Et docui facili, plurima scire, modo.

Nec laudem quæro, pucris prodesse labore.

Hec est consilij meta, scopusq; mei,

## AD ZOILVM TETRA- STICON.

Si quis es, obgannis qui cooptis Zoile nostris.

Non tua me quicquam liutda dicta mouent.

Omnibus inuidcas, per me licet, at tibi nemo.

Liuor edax, pectus sic vorer usq; tuum.











Cq -  
1513 1-13

the scale toward

locus quadrū  
qua inter se,  
contrarie, ue

## DE PRIVATU

Quæ di-  
rum alterum  
citas priuat o-  
nebræ priua-  
tenebris. Si-  
gilia, &c.

Quo m-  
oppositis? V-  
lucem mund-  
hī aliud era

## DE RELATI

Quæ di-  
plicia nomín-  
dícāmētum;  
ceptor & dis-  
ritus & uxo

Quo n-  
positis? Vt  
ergo non fu

ponuntur enim ali  
, uel relativē, uel  
rie.

## OPPOSITIS.

i priuatue? Quo-  
stum altero, ut cœ-  
& ediuerso. Sic te-  
ice, & lux uicissim  
ies, somnus & ui-

tamur a priuatue  
appallat Christum  
latum Christū, ni-  
tenebrae.

## OPPOSITIS.

re opponi? Illa sim  
retulimus ad p̄r-  
pater & filius, p̄r-  
inus & seruus, ma-

tamur a relativē op-  
ceptor Aristotelis,  
lus.

## DE

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11  
Patch Reference numbers on IJTT  
Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 038

Universitäts  
Bibliothek  
Rostock